

16.

Q. D. E. V.

Ut

Gravissimos Religionis Lutheranae
in præterito bello Defensores,

Diyos

GUSTAVUM ADOLPHUM

SVECIÆ REGEM,

JOHANNEM GEORGIUM I.

SAXONIÆ ELECTOREM,

In Illustri ad Salam Augusteo

laudari audiant.

Utriusq; Reip. Proceres ac Cives

ad d. 27. Sept. M DC LXX.

quâ decet observantiâ ac humanitate

invitat

M. CHRISTIANUS Weise /

Polit. Eloqv. & Poëf. P. P.

LEUCOPETRÆ,

Literis HILDEBRANDIANIS.



Xhibuimus nuper Machiavellum: nunc ubi de tricennali Germaniæ bello differendum est, cujus insigne fuit postulatum, *hereticis non esse servandam fidem*, non immeritò respicimus ad Concilium Constantiense, quod, quia talem primò comprobavit propositionē, *sacri Machiavelli* insignitum fuit nomine. Et certè non adeo aliena ea est denominatio. Sicut enim *Machiavellus* non novam quidem invexit doctrinam, sed eam saltem, quæ exemplis hætenus viguerat, certis comprehensam regulis, publicè exposuit: ita cum multis inde sæculis *Gregorii VII. s. Hildebrandi* perfida obtinuissent consilia, pauciqve è numero Pontificum fuissent occultiores, nulli meliores, publicum tandem isto Concilio accessit complementum, ut quæ sine pudore licuisset agere, eadem tunc impudentia liceret docere. Accedit ad hoc, *utrinq; respici Principatum, illic politicum, hic ecclesiasticum*: ut, quemadmodum *Machiavello* nihil non videtur justum, quod regnandi causa suscipitur; sic *sacro isti Machiavello* facile sit, ad promovendam suæ religionis tyrannidem, quodcunqve excusare ac permittere flagitium. Quærere autem Pontifices sub prætextu religionis universi orbis dominium, non modò patet è supercilioso *Alexandri VI.* Judicio, quo *facta inter Hispanos & Lusitanos transactione*, his omnes donaverat terras ad *180. gradus versus orientem, illis tantum versus occidentem*: sed etiam ex hodiernâ constat consuetudine; ubi, ut terrarum suo dominio ereptarum aliquam retineant possessionem, titulares adhuc fovent episcopos, *Hebronenses, Philippenses, Corinthiacos, Quinq; ecclesienses, Magdeburgenses etiam, Martisburgenses, Cizenses.* Quo in loco afferri commodè potest scriptum, istud *anonymum*, quod editum anno 1615. citatur à *Gramondo lib. i. p. 64.* ubi quæ potissimum regna ad beneficia & feuda Pontificis spectent, speciosè enumerantur. Interim ad conservandum hoc in religione imperium, nullis opus esse artibus, evinci queat ex istis *Machiavelli* verbis, *de Principe cap. ii. p. m. 45.* *Hi soli, inquit, Principatum habent, nec illum defendunt. Habent subiectos sibi populos, quos non regunt. Eorum provincie sunt indefense, eas tamen nemo aufert. Populi sub eorum administratione se neglectos sentiunt, & nihil morantur: nec cogitant aut possunt*

se ideo

se iis subducere. Hi soli itaq; Principes securi sunt & felices. Verum enim vero servilis Italorum superstitio reliquis nationibus æquè feliciter vix potuit instillari, quo minus istam & subolerent & excuterent servitutem. Quare ut illæ retinerentur in amore aut metu, Machiavellicæ suscipi debuerunt fallaciæ, adducitq; tale exemplum ipse Machiavellus, in quo restam factæ quàm profanæ gestæ sunt cum perfidiâ. Alexander VI, Papa (ait cap. 18. p. 7.) nihil quàm hominum deceptorem egit, nihil quàm ad omnem malitiam & fraudem (quò hominum genus falleret) mentem suam exercuit. Nemo in asseverando quid magis fuit efficax, nemo majore jurejurando aliquid affirmavit, & minus prestitit. Mirum igitur non est, si Concilium Constantiense eo quoque inclinaverit, cum liberior Johannis Hussi doctrina absolutæ illorum Monarchiæ aliquam minaretur perniciem. Nec negari potest publicam tunc fuisse sententiam, de fide hæreticis non servanda; quippe quod sumptum fuit de Hussio supplicium, qui cum instructus esset salvo Imperatoris conductu, ex nullo alio capite poterat damnari. Neque tam steriles secuti temporis sunt historiæ, quin clarioribus patefecerint exemplis, quæ Pontificiorum fuerit mens. Quoties enim ab imperantibus, quoties à subditis, quoties à contrahentibus inter se Principibus fractam legimus fidem, non alio quàm fraudulento religionis intuitu? Et quemadmodum ea sæviendi licentia tetigit infideles, qui Christum ignorarent; ita non pepercit hæreticis, qui, ut isti judicabant, de Christo minus piè sentirent: hæc tamen exceptione, ut si aliqui essent servandi, tolerarentur potius infideles, quàm hæretici, qui facilius ad se pertrahere possent, orthodoxos. De infidelibus perfidè deceptis testatur Hungaria, cujus Rex Vladislaus pacem cum Amuratbe Turcarum Imperatore juramentoq; firmatam, jussu Cardinalis Juliani ruperat, quasi viventibus extra Ecclesiam efficaciter fides dari non potuisset, quæ tamen res in Vladislai & Juliani, imò universæ Ecclesiæ cecidit detrimentum, cum anno 1444. datâ 30000. Christianorum strage admonerentur Turcæ, posse aliquando subjugari Hungariam. Non minorem sibi licentiam tribuebat Ferdinandus Catholicus, per hæreditatem, Arragoniæ; per Uxorem, Castiliæ; per occupationem, Granatæ; per religiosum latrocinium, Navarræ;

per primam inventionem, Indiæ occidentalis Rex. Is enim cum suscepisset Coronam, ibique, more apud Hispanos etiam usitato, non minus Mauris ac Judæis, quam cæteris Christianis protectionem ac defensionem esset pollicitus, quippe quod illi quoque referrentur inter subditos: hac tamen Pontificum regulâ facilè absolutus est, ut sine pudore rupti pacti, omnes simul Mauros & Judæos proscriberet, jussosq; excedere, ita bonis ac possessionibus simul exueret, ne ultra aureum, viatici loco singuli retinerent. Quo tempore aliquot hominum myriades ex universa Hispania & Lusitania (cujus Rex eo quoque pertractus fuerat) abierunt, non alio effectu, quam ut Christianorum aliqua ditio incolis nudaretur; Turcarum verò provinciæ tanta hominum gauderent accessione. Interim cum ista gererentur apud Europæos, majori crudelitate misera vexabatur America, cujus possessionem sub specioso donationis Pontificiæ titulo ad se rapiebat Hispanus, nec solum legitimos deturbabat Reges, sed etiam subditos, quos aut communi societatis humana pacto sibi habebat junctos, aut expressis ad se allexerat pollicitationibus, infra ipsas ponebat pecudes, ut, referente Bartholomæo Casa Caroli V. Confessionario, hominum trucidatorum, à canibus disceptorum, mari ac fluminibus submersorum, sub oneribus ac laboribus extinctorum numerus immensas superaret myriades. Sed fides servanda non erat infidelibus.

Tametsi autem ad extremum venisse videtur ista sævitia, negari tamen non potest, majori fuisse odio agitados ipsos Christianos, qui relati fuerunt inter hæreticos, quod absolutam Pontificis Tyrannidem nollent admittere. Hic enim unicus est fidei articulus, qui Papamurit, & credo, citius admissurum, ut quis abjuret Deum, quam ut de Apostolica sue sedis autoritate minus sentiat honorificè. Videamus exemplum occupatæ Constantinopoleos. Laborabat Orientis Imperator sub obsidione Turcica, nec ulla spes remanserat, aut servandi Imperii, aut tuendæ Religionis. Debüisset itaque Occidentis Imperator Fridericus III. meminisse antiquæ illius transactionis, quæ inter Carolum M. & Nicephorum intercesserat; nec oblivisci, quantas antecessores sui Friderici olim suscepissent expeditiones ad infringendas Saracenorum vires; cogitare etiam quemvis Christiani nominis affectam,

ut ut

usuè errantem, meliorem esse Turcis ac Etbnicis. Nihilominus ex-
presso Pontificis interdicto ab auxiliis ferendis abstinebat, quia,
quod in Concilio Basileensi quæsitum fuerat, Patriarchæ Constan-
tinopolitanus recipere volebat Romani Præsulis superioritatem. Fa-
xit Deus, ne Turca nunc propior factus Italiæ, seram Ecclesiæ
Latinæ de neglectis Græcis extorqueat poenitentiam! Sic quæ
in Mauros olim ac Judæos desævuit Hispanica inquisitionis, licet
eosdem rursus vexaverit anno 1570. sub Philippo II. 1609. sub
Philippo III. maximè tamen immissa fuit hodiequæ incumbit
Christianis, qui post ortum Lutheri & Calvini Pontificis im-
pugnarent infallibilitatem, legiquæ vix sine horrore possunt
persecutionis Belgicæ commentarii, quanta regnaverit ibi per-
fidia, ut neglectis aut insuper habitis Capitulationum, Constitutionum,
transactionum sanctionibus, cedibus, rapinis, proscriptionibus omnia
implerentur, & non tam bona civium addicerentur fisco, quod essent
heretici, quàm ideo multi hereseos insimularentur, ut eo majores o-
pes ad se rapere posset fiscus. Stabit æterna, non procul ab Hero-
strato aut Pilato, Albani memoria, cuius hanc quis infimam
dicat gloriam? quing. annorum spacio 18000 hominum confecisse per
sarnificem, 100000 per milites. Et hæc omnia sub prætextu, he-
reticis non esse servandam fidem. Ex eo etiam absolvebantur ca-
pite, Sigismundus III. Sveciæ & Polonia Rex, qui promissam Svecis
libertatem religionis conabatur invadere: percussores in Henricum
IV. Gallia Regem armati; pessimus ille incendiarius in Angliâ, qui sub-
jecto adibus Parlamenti pulvere pyronio Regem sum Proceribus facile
disjecisset in aërem. Imò hinc profluxit, quæ primo loco dici
debebat, & ad exemplum vel sola sufficit Laniena Parisiensis, ubi
invitati, ad nuptias Henrici IV Reformati, Hugonottarum
Proceres contra datam fidem jugulabantur miserimè, ut præ-
copia effusi sanguinis ipsa Sequana rubicundum concepisse co-
lorem videretur.

Satis itaque ostensum est Machiavellicam in Pontificis Im-
perio regnare perfidiam. Nunc alteram Machiavellicæ do-
ctrinæ videamus partem, quæ consistit in fidei sinceritatisquæ
simulatione. Ubi non oblitus est officii sui sacer Machiavel-
lus. Cum enim nimis videretur impium vel hereticus non serva-
re fidem, quam dare turpe non fuerat; vel Pontificem posse rescinde-

vo pacta & juramenta, ex quo sequeretur nullum, in societate pactum
efficaciam habere & securitatem: essetq; et alacritia distinctio respectus
civilis & ecclesiastici, unde hostes Ecclesie non statim forens inimici
Reip. Accederet ad hoc in Germanianostra Pax Religiosa Augusta Vin-
delicorum anno 1555. condita, quæ æqualem Lutheranis s. Prote-
stantibus promississet libertatem atq; protectionem: assumptâ idcir-
co simulationis larvâ, magnopere suam erga hæreticos jacti-
tare solent fidem, sed ita, ut longiore opus sit pallio, si clan-
destina præminere non debeat fraudulentia. Primo enim ne-
gant apertè in Concilio Constantiensi tale quid fuisse conclusum; a-
junt autem longè aliam damnati Hussi fuisse justitiam. Et ne cum
urbâ nobis res sit, quæ scribentium hoc loco est maxima, so-
lum assumamus Becanum, sive potius Job. Ludov. ab Hagen, qui
disputationis inauguralis de fide hæreticis servanda Autor est & Re-
spondens, eamq; aº 1607. habuit, eo ipso tempore, ubi gliscentia
Unionis & Ligæ nomina, properare videbantur ad apertum Germa-
niæ incendium. Mirandum verò est maximè, citasse eum diserta
Concilii verba: *Præsens sancta Synodus ex quovis salvo conductu,*
per Imperatorem, Reges & alios seculi principes, hæreticis vel de hæ-
resi diffamatis, concessis, nullum fidei Catholice vel Jurisdictioni Eccle-
siaestice præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse seu
debere, declarat; quo minus dicto salvo conductu non obstante, liceat
Judici competenti & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum errori-
bus inquirere, & aliàs contra eos debitè procedere, eosdemq; punire,
quantum justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recu-
saverint, etiamsi de salvo conductu confisi, ad locum venerint Judicii,
aliàs non venturi; nec sic promittentem, cum fecerit, quod in ipso
est, ex hoc in aliquo remansisse obligatum. Exinde autem conclu-
dit Imperatorem fecisse, quantum in ipso fuerit, interim secularem
potestatem impedire non potuisse ecclesiasticam. Sed ut taceamus
falsissimum istud præsuppositum Principes seculares in causis eccle-
siasticis subjectos esse Pontifici; quid aliud sequitur, quàm Impera-
torem non potuisse dare salvum conductum, si securitatem præstare
non potuerit in eo iudicio, ad quod citabatur Hussus? & certè Con-
cilium non esse poterat iudex, cum esset pars, & adversarium ha-
beret Hussum, qui non per talem violentiam erat convincendus, sed
per compositionis spes non affulgeret, recedendi debebat habere potesta-
tem,

tem, aut convincendus erat apud Judicem, qui neutrarum esset partium. Nam quod distinguit salvos conductus, & aliquem salutem dari asserit contra vim injustam, salvam semper justitiam, valet quidem in eo casu, ubi futurum aliquod intercedit delictum, hic tamen absurdum est: etenim quid opus foret salvo conductu contra vim injustam? cum Magistratus vel sine eo teneatur defendere quemcunque, imò interdum prestare non possit securitatem adversus vim injustam, quod apparet in iis casibus, ubi privata defensio est licita. Imò si ad vim injustam spectat incarceration, jam facta erat Husso injuria. Deinde salva est justitia, si expressè constet de delicto: jam autem, ut supra dictum, de eo Patres Concilii judicare non poterant. Neque stringit, quod affertur ulterius, prohibitum fuisse Husso sub pena capitis, ne discederet, illum tamen fugam sibi consuluisse, atque a deo novum incurrisse crimen. Nam contra salvum conductum erat, tale edictum promulgare; ergo improbari non poterat miser ille, si aliter sua consuleret securitati. Sed de Concilio satis. Delicatiùs procedebant Jesuitæ Dillingenses, qui fervente Germanico bello sic publicè statuebant, Hereticis & fidem, & speciatim Germanis Pacem religiosam esse servandam, sed servantibus: abiisse verò Protestantes multum ab eâ pace, & imprimis lesisse articulum dictum den Geistlichen Vorbehalt / ubi Rex Ferdinandus I. ex plenitudine potestatis à fratre Carolo V. sibi concessa statuerat, bonorum Ecclesiasticorum possessores, si ad Lutheranam abirent religionem, ea statim debere resignare ac relinquere Catholico: nimirum multa Catholicorum bona ab eo tempore cessisse Lutheranis, ut ista fides ulterius servari non posset. Quare etiam Ferdinandus II. edicto suo anno 1629. talia comprobabat, & omnia cum fructibus perceptis & percipiendis restitui jubebat, quæcunque pertinerent ad Catholicos. Sed debebant considerare Catholici, plenitudinem potestatis Imperatorie non esse efficacem in negotio religionis, & protestatos esse Principes Lutheranos contra hunc articulum tantum non in omnibus Comitibus. Interim ad incertas redacta videbatur res Lutheranorum, suasque victorias jactabat sacer Machiavellus. Cum Deus, Deus enim fecit, ex improvviso excitaret GUSTAVUM ADOLPHUM Sveciæ Regem, Heroem Pium, Constantem, Felicem, qui quassatæ jam Religioni dignas ferret suppetias: ei que adjungeret JOHANNEM GEORGIUM I. Saxoniam Electorem, virtutum Saxo-

saxonicarum universalem heredem, qui non solum Catholicos in ordinem redigeret, sed ipsorum Svecorum moderaretur actiones, ne vel illi religionem, vel isti regionem invaderent ferventiùs. Istitis igitur factum est Vindicibus, ut Pax coiret *Osnabrugica*, ibique *eterna Religioni Catholica ac Lutherana*, cui *accesserat Reformatas*, daretur *securitas*. Licet enim eam annihilaverit *Innocentius X.* anno 1651. cujus Bullam *vid. Limn. 2. Add. l. 1. cap. 12. p. 229.* Imperator tamen Leopoldus in sua Capitulatione non solum *art. 1. & 2.* promittit, *se pacem istam sanctè servaturum, nec ob Advocatiam Ecclesie Romanae aliquid contra usurum;* sed ista quoque in fine adduntur verba: *Uns auch darwider einiger Behelß oder Außnahm / dispensationes, absolutiones Geist- oder weltliche Rechten / wie das Namen haben mag / nicht zu statten kommen sollē.* Cum igitur *supra laudati Divi Principes* in negotio tã arduo *primum moverint lapidem, ipsa requirit pietas, ut eorum sanctè custodiamus memoriam.* Ac proinde *laudabilis Nobilissimi atq; Politissimorū Juvenum conatus est, qui cras in Illustris Augustei Collegio consensuricathedram, de eadem materia dicent prolixig.* Procedet primùm **DN. JOHANNES FRIEDERICUS à Biesenroth / Nob. Misn.** & breviter belli Germanici ortum delineabit & progressum. **Sequetur**

DN. MARTINUS CUNOVIVS, Schkortlebiõ Misnicus, *Laudes Gustavi Adolphi Regis Sveciæ in eo ostensurus, quod quatuor boni Imperatoris exhibuerit virtutes, Scientiã rei militaris, Virtutem, Autoritatem, felicitatem.* Surget ulterius **DN. CAROLUS FRIDERICUS HAPPE, Greußenã Thur.** *Deprædicaturus Johannem Georgium I. Saxonix Electorem, quod belli civilis initia invitus susceperit, extrema non libenter persecutus fuerit.*

Tandem notus jam è persona Prologi Epilogus brevem instituet comparisonem, factãque ad pacem digressionem, vota faciet ad Deum pacis autorem.

Vos itaque, quos aut religionis tangit amor, aut pacis suavitas, aut vivens in Augustissimo Filio Divus Parens, honorificã vestrã præsentia actum nostrum condecorate. Spondent Actores meo nomine, se accepti beneficii nunquam fore immemores. **PP. d. 26. Sept. M DC LXX.**